

Satura critica.

I. Notissimus est locus Theognidis inde a versu 53, ubi maximam rerum Megarensium conversionem poeta queritur: plebem rusticam, quae antea pellibus caprinis vestita in agris vitam degisset a negotiis publicis alienissimam, iam in urbem receptam iura nobilium sibimet vindicasse, nobiles contra oppressos et ad plebis condicionem redactos esse. sed hi versus gravi adhuc vitio laborant. leguntur enim vulgo ita:

*Κύρνε, πόλις μὲν ἔθ' ἥδε πόλις, λαοὶ δὲ δὴ ἄλλοι,
οἱ πρόσθ' οὔτε δίκας ἤδεσαν οὔτε νόμους,
55 ἀλλ' ἀμφὶ πλευρῆσι δορὰς αἰγῶν κατέτριβον,
ἔξω δ' ὄστ' ἔλαφοι τῆσδ' ἐνέμοντο πόλεος.
καὶ νῦν εἶσ' ἀγαθοί, Πολυπαῖδη· οἱ δὲ πρὶν ἔσθλοί
νῦν δειλοί. τίς κεν ταῦτ' ἀνέχοιτ' ἔσορῶν;*

in qua orationis conformatione plerosque omnes adquevisse sane miror, nam nihil potest dici inconcinnius. adparet enim per se stare verba πόλις μὲν ἔθ' ἥδε πόλις, λαοὶ δὲ δὴ ἄλλοι, nec posse ab eis enuntiatum relativum pendere, quippe quae generalem sententiam contineant insequentibus demum versibus explicandam et inlustrandam. igitur post ἄλλοι graviter interpungendum est et a pronomine οἷ, quod sequitur, nova enuntiatio incipienda. sed enim haec protasis sua caret apodosi. iam ne quis post v. 56 unum vel plura disticha excidisse arbitretur, inpedit concinnitatis ratio: nam verbis οἱ πρόσθ' οὔτε δίκας — τῆσδ' ἐνέμοντο πόλεος eos notari, qui aliis locis κακοὶ vel δειλοί a poeta adpellari solent, manifestum est, ex eisquae quae opponuntur, οἱ δὲ πρὶν ἔσθλοί νῦν δειλοί, priorem quoque sententiam eodem modo antiquitus conformatam fuisse intellegitur. quod si quis necessarium esse neget, eum ad versus 1109—1114 delegamus, ubi eadem sententia paululum variata recurrit: *Κύρνε, οἱ πρόσθ' ἀγαθοὶ νῦν αὖ κακοί, οἱ δὲ*

κακοὶ πρὶν Νῦν ἀγαθοὶ e. q. s. itaque v. 57 in verbis καὶ νῦν εἶο' ἀγαθοὶ non potest non latere vitium. quod cum perspexissem e priore I. Bekkeri editione idem iam Franciscum Passovium sensisse vidi. hic enim τοὶ νῦν εἶο' ἀγαθοὶ scribendum esse censuit, idque tacite probavit Schoemannus in schediasmate de Theognide p. 13. verum haec coniectura ut qualis esse deberet ratio sententiarum Passovium satis cognitum habuisse ostendit, ita aptam orationem neutiquam efficit. scribendum est sic potius:

Κύρνε, πόλις μὲν εἶθ' ἦδε πόλις, λαοὶ δὲ δὴ ἄλλοι.
οἱ πρόσθ' οὔτε δίκας ἤδεσαν οὔτε νόμους,
ἀλλ' ἀμφὶ πλευρῆσι δορὰς αἰγῶν κατέρριβον,
ἔξω δ' ὡστ' ἔλαροι τῆσδ' ἐνέμοντο πόλεος,
κεῖνοι νῦν ἀγαθοὶ, Πολυπαῖδη· οἱ δὲ πρὶν ἐσθλοὶ
νῦν δειλοὶ.

verbis κεῖνοι νῦν semel in καὶ νῦν corruptis fieri non poterat quin metrum fulciretur addito verbo substantivo, quod tamen melius abest a concisa hac et contrariorum vi insigni sententia, ut abest etiam a repetitione eius, quam modo attulimus. pronomen autem demonstrativum κεῖνοι nostro loco aptissimum est, quia paullo remotius relativum graviter excipit simulque aliquid contemptiois et fastidii habet ut v. 221 s.: "Ὅσας τοι δοκεῖ τὸν πλησίον ἰδμεναι οὐδέν, Ἄλλ' αὐτὸς μούνος ποικίλα δῆνε' ἔχειν, Κεῖνός γ' ἄφρων ἐστί, νόου βεβλαμμένος ἐσθλοῦ, et v. 479 s.: ὃς δ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον, οὐκέτι κεῖνος Τῆς αὐτοῦ γλώσσης καρτερός οὐδὲ νόου.

II. In prologo Acharnensium Aristophanis Dicaeopolis moleste fert quod contione iudicta Pnyx inanis sit populusque in foro garriat funemque miniatum utrimque fugiat. tum sic pergit v. 23 s.:

οὐδ' οἱ πρυτάνεις ἤκουσιν, ἀλλ' ἄωρίαν
ἤκοντες, εἶτα δ' ὠσποῦνται πῶς δοκεῖς
25 ἔλθόντες ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου,
ἄθροι καταρρέοντες.

hunc locum mendosum esse non una res demonstrat. primum enim offensam habet verbi ἤκειν post tam breve spatium repetitio. deinde structura verborum turbata est. nam adverbium εἶτα etsi saepissime apud Aristophanem post participium infertur, tamen, si cum δέ particula coniunctum invenitur, novum enuntiatum vel membrum enuntiatum incohet necesse est. praeterea subiectum verbi ὠσποῦνται non est quod proxime antecedit οἱ πρυτάνεις, sed remotius οἱ v. 21. verba enim ὠσποῦνται ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου non ad prytanes pertinere, qui certas suas sedes habebant, sed ad populum de occupandis primis subselliis inter se certantem, cum per se intelle-

gitur, tum versu 42 confirmatur, ubi Dicaeopolis εἰς τὴν προσεδρίαν, inquit, πᾶς ἀνὴρ ὠσαίξετα. denique praegresso participio ἤκοντες in eodem enuntiato alterum eiusdem significationis participium, ἐλθόντες, v. 25 additur. quod quam molestum sit iam M. Hauptius animadvertit Hermae t. V p. 319 s., in cuius disputationem incidi, cum quo modo hic locus emendandus esset mihi constitit. atque in isto εἶτα δέ post participium posito iam Dobraeus (adversar. t. II p. 186) offenderat. sed hic quod dubitanter proposuit, εἶτα διωσαοῦνται, vel metrum respuit, neque vero Hauptius ἔξουσιν pro ἤκοντες coniciendo omnes quas exposui difficultates, sed partem tantum earum sustulit. mihi quidem fortiore hic remedio opus esse videtur scribendumque puto:

οἱδ' οἱ πρυτάνεις ἤκουσιν· ἀλλ' ἄωριοι
 ἅπαντες· εἶτα δ' ὠσαοῦνται πᾶς δοκεῖς
 ἐλθόντες ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου

h. e. 'ne prytaenes quidem ad tempus veniunt, sed omnes intempestivi, seri sunt (nemo ad horam adest); postea autem cunctis una adproperantibus maximus ad prima subsellia concursus fiet.' quod ab Aristophane venisse suspicor, ἄωριοι ἅπαντες, etsi mero oculorum errore in id quod libri nostri tradunt depravatam esse possit, magis tamen adducor ut interpretamentum in verba poetae inrepsisse credam ad explicandam rariorem dicendi rationem olim in margine adscriptum. ceterum simillimum est quod infra v. 40 legitur: ἀλλ' οἱ πρυτάνεις γὰρ οὔτοι μεσημβρινοί. verum enim vero coniecturae meae probabilitati id obstare video, quod forma ἄωριος apud posteriores demum aetate scriptores reperitur pro ἄωρος: certe qui eam adhibuerit priorem non invenio Theophrasto, qui habet in libro de causis plant. altero c. 2 § 2: ἄωρια μὲν οὖν πάντα (τὰ ὕδατα). nam ἄωρος quidem posse de eo dici, qui intempestive venit, scilicet aut nimis sero aut maturius quam oportuit, opus non videtur demonstrare. at tamen ne alteram quidem formam plane alienam fuisse a vetustioribus Homericum illud παναώριος ostendit, quo qui Iliadis librum extremum composuit v. 540 de Achille inmaturo morte perituro usus est, cumque ὄριος apud veteres poetas, non solum epicos, usitatissimum sit, ἄωριος Aristophani tribuere in loco desperato, sed qui coniectura mea persanetur, mihi non videtur temerarium. reputandum est etiam ne nomen ἄωρία quidem, quod codices una cum Phrynicho in Bekkeri anecd. gr. I p. 4 (conf. Fritzschiium de Acharnensibus Aristoph. p. 8) et Suida (hic tamen dativo casu, non accusativo) praebent, apud superiores scriptores praeter nostrum locum occurrere. nam Pin-

darum quod fuerunt qui eandem vocem de immaturo funere possuisse crederent nisi Aristidis t. I p. 130 testimonio dicentis: *Ἐπέχεται μοι τὸ τοῦ Πινδάρου προσθεῖναι Ἄστρα τε καὶ ποταμοὶ καὶ κύματα πόντου τὴν ἀωρίαν τὴν σὴν ἀνακαλεῖ* (Pind. fragm. nr. 101 Boeckh, 113 Bergk), verum eos vidisse adparet, qui frustum lyricum solis verbis *ἄστρα — πόντου* contineri censent.

III. Lycurgus in Leocratea § 11—13 de prava oratorum in iudiciis extra rem dicendi consuetudine conqueritur propositoque Areopagi exemplo indices adhortatur, ut desistant id permittere; quo facto futurum esse, ut sine calumniis ac fallaciis causae agantur ipsisque dato iuriurando convenienter suffragium ferre liceat. iam haec secuntur: *ἀδύνατον γὰρ ἔστιν ἄνευ τοῦ λόγου, μὴ δικαίως δεδιδασμένους δικαίαν θεῖσθαι τὴν ψῆφον*; ubi verba *ἄνευ τοῦ λόγου* omni omnino sensu carent. itaque Bekkerus aliique totum hoc enuntiatum pro emblemate secluserunt, festinantius puto quam verius. qui autem emendare corrupta maluerunt, parum probabilia atque partim admodum mira protulerunt, quibus adferendis refutandisque tempus perdere nolo. mihi quidem omnem istam oratoris expositionem circumspectanti non est dubium quin scribendum sit: *ἀδύνατον γὰρ ἔστιν ἄνευ δικαίου τοῦ λόγου δικαίαν θεῖσθαι τὴν ψῆφον*, deletis illis *μὴ δικαίως δεδιδασμένους*, quae verborum antecedentium explicandorum causa aliquem grammaticum adscripsisse credo. iusta autem oratione is utitur, qui *οὔτε ψεύδεται οὐδὲν οὔτ' ἔξω τοῦ πράγματος λέγει*, quem ad modum accusationem suam se institutum esse Lycurgus § 11 promisit. conf. etiam § 12 init.: *ἀλλ' οὐ δίκαιον ἡμᾶς μὲν ἀξιούν δικαίαν τὴν ψῆφον φέρειν, αὐτοὺς δὲ μὴ δικαίαν τὴν κατηγορίαν ποιεῖσθαι*.

Leve est, sed tamen non plane inutile monere, in § 29 eiusdem orationis longe simplicissime aptissimeque scribi *ὁ γὰρ τὸν τῶν πάντα συνειδῶτων ἔλεγχον φηγών*, quia et librorum corruptelae *τὸν πάντων* aut *τῶν πάντων* facillimum hinc explicatum habent neque articulo *τῶν* ante participium careri potest, cum contra nullo modo necessarium sit dativum *αὐτῶ* ad *συνειδῶτων* addere, id quod Carolus Scheibium aliosque fecisse video. conf. quae paullo post secuntur: *ὅταν οἰκείται ἢ θεράπαιναν συνειδῶσιν ἃ δεῖ*.

IV. Aeschinis orationes multitudinem ineptorum emblematum inquinatas esse certum est, neque potest negari quin Weidnerus et Cobetus magna parte eorum sagaciter deprehensa et sublata bene de hoc scriptore meriti sint. sed eidem ultra quam par erat progressi sana quoque permulta pro alienis additamentis expunxerunt. quod accidit eis, cum indolem oratoris parum aut per-

spectam haberent aut curarent, cumque variam in diversis codicum familiis verborum conlocationem per se interpolationis indicium esse sibi persuasissent. quae opinio quam falsa sit, non est cur uberius demonstratur, quando etiam verba ad sententiam maxime necessaria in Aeschinis codicibus saepe incertis sedibus vagari videmus, idque facillimum explicatum inde habet, quod qui archetypum nostris libris communem scripsit, quae primo per negligentiam omiserat postea supra versus vel in margine addidit, neque tamen tam accurate semper, ut qui insequerentur librarii, quibus illa locis inserenda essent, dubitare non possent. sed ne ea quidem verba, quibus sine sententiae vel perspicuitatis detrimento careri possit quaeque in scriptore pressae dictionis amanti nostro iure removeamus, non accedente alia causa ab Aeschine abiudicabimus, nisi id quod in oratione eius proprium inest obscurare et omnia ad certam scribendi normam a nobismet ipsis animo conceptam exaequare volumus. nam etiamsi talia plurima expungas, plura tamen restabunt quae hunc oratorem fuso quodam et quasi redundanti dicendi genere delectari et, ut Quintiliani verba mea faciam, carnis plus habere, minus lacertorum ostendant. atque hoc est principale eius et paene unicum in eloquendo vitium quodque naturalem illam facultatem dicendi, quae in eo summa erat, severa institutione ac disciplina non esse temperatam vel maxime doceat. itaque in Aeschine ea tantummodo, quae non solum otiosa sunt, sed certam sive a sententia sive a sermone offensionem habent, ut insiticia expellenda esse censebimus. talia autem etiam post recentissimorum criticorum operam remanere aliquot exemplis e Ctesiphontea petitis, in qua in praesens me continebo, demonstrare libet. simul alios non nullos eiusdem orationis locos tractabo et ipsos manifesto depravatos, sed alia medicina sanandos.

§ 19 Aeschines demonstraturus apud Athenienses neminem eorum qui ad rem publicam quomocumque accesserint *ἀντιπύθνον* esse trierarchis quoque ex lege rationem reddendam esse dicit occasionemque arripit eorum liberalitati tecte opponendi Demosthenis ambitionem et avaritiam: *πάλιν τοὺς τριηράρχους ὑπευθύνους εἶναι κελεύει ὁ νόμος οὐ τὰ κοινὰ διαχειρίζοντας οὐδ' ἀπὸ τῶν ἡμετέρων πολλὰ μὲν ὑφαιρουμένους βραχέα δὲ καταυθέντας, ἐπιδιδόναι τε φάσκοντας, ἀποδίδοντας δὲ ἡμῖν τὰ ἡμέτερα, ἀλλ' ὁμολογουμένως τὰς πατριῶς οὐσίας εἰς τὴν πρὸς ἡμᾶς ἀηλωκότας φιλοπυμῖαν.* locum sic exscripsi quem ad modum eum correxit acuti vir ingenii Ioannes Bakius in scholicorum hypomnematum vol. IV p. 318. codices falso et *διαχειρίζοντας* et *ἡμετέρων προσόδων* et

δέ pro τῆ praebent. e tribus autem illis Bakii coniecturis Weidnerus duas quidem priores recte recepit, tertiam inmerito spreuit. sed ne recepta ea quidem totius loci emendatio perfecta atque absoluta est: restat ut alterum illud δέ, quod post ἀποδιδόντας est, inducatur legaturque: ἐπιδιδόναι τε φράσκοντας ἀποδιδόντας ὑμῖν τὰ ὑμέτερα. nam hoc vult orator dicere: 'non faciunt trierarchi more Demosthenis, ut addere sese de suo dicant cum vestra vobis reddunt (scilicet partem aversae per fraudem pecuniae publicae)'. conf. § 23.

In § 94 haec legimus: εἰς γὰρ τοῦτο προήχθη Καλλιᾶς μὲν ὁ Χαλκιδὲς ὕβρεως καὶ πλεονεξίας, Δημοσθένης δὲ ὃν ἐπαινεῖ Κτησιφῶν δωροδοκίας, ὥστε τὰς ἐξ Ὠρεοῦ συντάξεις καὶ τὰς ἐξ Ἐρετριᾶς, τὰ δέκα κάλαυτα, ὀρώντων φρονούτων βλεπόντων ἔλαθον ὑμῶν ὑφελόμενοι, e. q. s. hic participiorum ὀρώντων φρονούτων βλεπόντων coniunctio quin vitiosa sit dubitari nullo modo potest. nam Weidnerus quod dicit verbum βλέπειν significare vivere, eam interpretationem admitti non posse multa sunt quae demonstrent. primum enim is usus poeticus maximeque tragicus est. quem etsi solutae quoque orationi, ubi paullo sublimius dicendi genus aptum videatur, concessum esse adgnosimus, tamen fieri posse negamus, ut propria verbi significatio plane delitescat neque e vicinis verbis translatio perspiciatur. quo usque ne poetae quidem progressi sunt. adscribam non nulla exempla. Sophocl. Aiac. 962: ὕσως τοι, καὶ βλέποντα μὴ ᾗθουν, θανόντ' ἂν οἰμώξειαν ἐν χρεῖᾳ δορός. Euripid. Hecub. 311: οὐκουν τόδ' αἰσχρόν, εἰ βλέποντι μὲν φίλῳ χρώμεσθ', ἐπεὶ δ' ὄλωλε, μὴ χρώμεσθ' ἔτι, et Alcest. 142: καὶ πῶς ἂν αὐτὸς κατθάνοι τε καὶ βλέποι, quibus locis omnibus id quod opponitur verbi βλέπειν notionem inlustrat. idemque, ut contrario, sic etiam proprio verbo vivendi adposito efficitur. atque ea dicendi ratione re vera unus ex oratoribus usus est, Antiphon, qui in tetralogiae tertiae orat. 3 § 1 ζῶν τε καὶ βλέπων coniunxit, quem locum ipse Weidnerus in editione Ctesiphontae hoc anno apud Weidmannos emissa attulit una cum simili Terentiano in Eunuchō v. 72: prudens sciens, vivos vidensque pereō. verum in Aeschinis verbis non modo nihil inest, quod translatae verbi βλέπειν significationem per se aperiat, sed etiam ὀρώντων antecedit, quo praegresso βλεπόντων poni non potest, seu translative id seu proprie dici statuimus. si autem posset, certe duo ista synonyma copulari inter se nec alio verbo interiecto separari debebant. accedit quod in vehementi hac atque concitata oratione gradatione opus est, quam additum βλεπόντων minime efficit. aptene autem omnino vivis

Atheniensibus dici putamus indignam fraudem factam esse, praesertim cum videntibus scientibusque factam esse iam audiverimus? quae cum ita sint, *βλεπόντων* non potest non corruptum esse. pro quo ego quidem oratorem suspicor *κελευόντων* dixisse, ut sententia totius loci haec sit: 'tributa ab urbibus Oreo et Eretria vobis pendenda Demosthenes cum eoque sociatus Callias Chalcidensis videntibus scientibusque vobis, quin iubentibus subduxerunt, neque tamen vos, decepti istorum hominum machinis, surripere vobis animadvertistis.' potuit scilicet ita dicere orator propterea quod psephisma a Demosthene latum, quod postea adfertur partimque a scriba recitatur (§ 100 s.), quo inter alia Eretrienses et Oritae tributa sua in posterum non Athenas perferre, sed Calliae tradere iubentur — verene an falso rem exposuerit Aeschines nunc nihil ad nos —, populi suffragiis confirmatum erat.

§ 101 prima verba admodum corrupte in libris tradita Ferdinandus Schultzius Hermannii Sauppilii ingressus vestigiis mihi quidem in integrum restituisse videtur scribendo *ἔπειτ' ἀναφαίνεται πάλιν ἅπας ὡν ἐν τῷ ψηφίσματι πρὸς τῷ κλέμματι*, quam coniecturam sententiae totius loci adcommodatam neque nimium a codicum memoria recedentem similique loco Demosthenis XIX 127 stabilitam miror a novissimo editore repudiatam esse. neque dubito quin quae paullo post secuntur Weidnerus praegresso partim Dobraeo (conf. adversar. I p. 337) in universum recte constituerit hoc modo: *ἅτα δ' ἀληθῆ λέγω, ἀφελὼν τὸν κόμπον καὶ τὰς ἀλαζονείας αὐτοῦ τοῦ κλέμματος ἄφαι, ὃ ὑφείλειο ὁ μαρὸς καὶ ἀνόσιος ἄνθρωπος, ὃν φησὶ Κτησιφῶν διατελεῖν λέγοντα καὶ πράττοντα τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων; nisi quod fortasse post Κτησιφῶν verba καὶ ἐν τῷδε τῷ ψηφίσματι (quamquam καὶ in codicibus *elk* deest) retinenda erant. iam vero postquam scriba omissis ceteris eam partem psephismatis recitavit, qua Eretrienses Oritaeque tributa ad Calliam deferre iussi sunt — qua quidem rogatione Demosthenes ab Aeschine furto tantum prospexisse arguitur —, mirum est oratorem hisce verbis pergere: *Ὀυκοῦν τὰς μὲν τριήρεις καὶ τὴν πεζὴν στρατῶν καὶ τὴν πανσέληνον καὶ τοὺς συνέδρους λόγῳ ἠκούσατε, [τὰς δὲ συντάξεις τῶν συμμάχων, τὰ δέκα τάλαντα, ἔργῳ ἀπωλέσατε. nam quae illud psephisma, quod Aeschines § 100 lepide μακρότερον τῆς Ἰλιάδος et μεστὸν ἐλπίδων οὐκ ἐσομένων καὶ στρατοπέδων οὐδέποτε συλλεγρομένων dixit, de navalibus pedestribusque copiis contra Philippum parandis et de legatis sociorum plenilunio Athenas conventuris continebat, eae ipsae sunt Aeschine quidem iudice vanae istae inanesque iactationes, quas, ne tempus perderet, recitare scribam**

vetuit, id quod ex eis quae antecedunt certissime colligitur (conf. in primis quod § 99 de Demosthenis magnificentius loquendi et gloriose mentiendi consuetudine dictum est). iam si nihil aliunde huc invecum putamus, hoc unum relinquitur, ut verba *Ὀυκοῦν τὰς μὲν τριήρεις — ἤκούσατε* non ad ea, quae modo scriba recitavit, sed ad ea potius, quae omisit, pertinere nec ab Aeschine nisi ad augendum contrariis acumen orationis praemissa esse sumamus. sed hoc cum per se admodum mirum sit, tum usui certe et Aeschinis et reliquorum oratorum plane repugnat, qui, ut omnibus notum est, in causis forensibus instrumento aliquo per scribam recitato verbo *ἀκούετε* vel *ἀκρόαυτε* vel *ἤκούσατε* — nam tribus his temporibus in ea re promiscue utuntur, etsi paullo rarior praesenti et perfecto aoristus est — iudices ad id ipsum, quod modo audiverunt, delegare solent. iam ne quis difficultati ita se subvenire posse arbitretur, ut in § 101 verba *ἀφελὼν τὸν κόμπον καὶ τὰς ἀλαζονείας* tamquam e simillimo loco § 237 *ἀφελὼν τὴν ἀλαζονείαν καὶ τὸν κόμπον τοῦ ψηφισματος ἄψαι τῶν ἔργων* temere huc inlata eiciat, deinde volgatam ante Weidnerum lectionem *ἀνάγνωθι καὶ τοῦ κλέμματος ἄψαι* restituat, positum ab oratore verbum *ἄψαι* inpedit, quippe quod nisi praegresso participio *ἀφελών* locum non habeat. quod cum ita sit, cuncta ista verba *Ὀυκοῦν τὰς μὲν τριήρεις — ἀπωλέσατε* gravem mihi suspicionem movere fateor. quae cum nihil sint nisi brevis repetitio et complexio eorum, de quibus orator § 94—98 exposuit, facili negotio addi potuerunt suntque, ut videtur, a rhetore aliquo addita, qui subtile contrapositum hic efficere vellet. verum ista antitheta tantum abest ut subtilia sint et acuta, ut nesciam an hinc quoque interpolatio deprehendatur. proprie enim haec tantum opponi sibi potuisse adparet: ‘de navilibus pedestribusque copiis et de conventu audivistis quidem, sed numquam ea oculis conspexistis’, aut haec: ‘Eretriensium et Oritarum tributa verbo quidem Calliae tradita, re vera autem amissa sunt.’ restat ut quae § 103 insecuntur verba: *Ὑπόλοιπον δ’ εἰπεῖν, ὅτι λαβῶν τρία τάλαντα μισθὸν τὴν γνώμην ταύτην ἔγραψε Δημοσθένης*, aptissime ipsam scribae recitationem excipere dicam.

Locum qui est in § 112 novissimi editores propositam a Carolo Scheibio in *annal. philolog. t. LXVIII p. 160* titulorum dispositionem amplexi ita praebent: *ὅτι δ’ ἀληθῆ λέγω, ἀνάγνωθι τὴν τοῦ θεοῦ μαντείαν. MANTELA. [Οἱ πρὶν τῆσδε πόλεως — — — ἐπ’ ἀκταις.] Ἀκούσατε τῆς ἀρχῆς. APA. Ἀναμνήσθητε τῶν ὄρκων οὗς ἡμῶν οἱ πρόγονοι μετὰ τῶν Ἀμφικτυόνων συνώμοσαν. ΟΡΚΟΙ.* verum Aeschines certe non execrationem ante iusurandum reci-

tari iussit, sed hic naturalis eisque quae ipse orator § 109—110 exposuit unice conveniens ordo fuit, ut primum oraculum, deinde iusiurandum, postremo execratiō recitaretur, qua ne quis iusiurandum violaret sanctum esset. eoque ordine Aeschines ista instrumenta Delphis in ipso Amphictyonum concilio recitanda curaverat, ut § 119 narrat: *ἅμα δὲ ἀναγιγνώσκειν ἐκέλευον αὐτοῖς τὴν μαντεῖαν τοῦ Θεοῦ τὸν ὄρκον τῶν προγόνων τὴν ἄρὰν τὴν γενομένην.* itaque nostro loco verba *Ἀκούσατε τῆς ἀρᾶς* cum insequenti titulo *ΑΡΑ* adparet post verba *Ἀναμνήσθητε* — *συνώμοσαν* titulumque *ΟΡΚΟΙ* conlocanda esse. quod quam certum sit ea quoque demonstrant quibus § 113 Aeschines pergit: *Ταύτης τῆς ἀρᾶς καὶ τῶν ὄρκων καὶ τῆς μαντείας γενομένης.* consentaneum est enim oratorem iam primo loco ponere quod postremo loco scriba recitaverat, ab eoque ad prius recitata inverso ordine progredi. ceterum ipsi codices titulorum quidem iustum ordinem servaverunt, quamquam falso eos continuos praebent. habent enim post verbum *συνώμοσαν*: *μαντεία. ὄρκοι. ἀρά.*

In § 133 certe non dixit Aeschines quod dicentem eum faciunt codices: *Θῆβαι δὲ, Θῆβαι, πόλις ἀστυγείτων, μεθ' ἡμέραν μίαν ἐκ μέσης τῆς Ἑλλάδος ἀνήρπασται, εἰ καὶ δικαίως, περὶ τῶν ὅλων οὐκ ὀρθῶς βουλευσάμενοι, ἀλλὰ τὴν γε θεοβλάβειαν καὶ τὴν ἀφροσύνην οὐκ ἀνθρώπινως ἀλλὰ δαιμονίως κτησάμενοι.* quis enim, quaeso, τὴν θεοβλάβειαν aliter atque δαιμονίως nancisci potest? itaque ipsius oratoris tantum haec sunt: *ἀλλὰ τὴν γ' ἀφροσύνην οὐκ ἀνθρώπινως ἀλλὰ δαιμονίως κτησάμενοι,* quorum explicandorum causa adscripsit aliquis quod postea in verba Aeschinis inrepsit, *τὴν θεοβλάβειαν*; atque haud scio an etiam verba ista *οὐκ ἀνθρώπινως ἀλλὰ* interpreti debeantur, cum et per se parum apta et ob repetitionem *ἀλλὰ* particulae molesta sint. ceterum nostro loco comparari possunt quae § 117 de Amphissensi quodam legimus: *ἄνθρωπος ἀσελεύστατος καὶ ὡς ἐμοὶ ἐφαίνετο οὐδεμιᾶς παιδείας μετεσχηκῶς, ἵσως δὲ καὶ δαιμονίου τινὸς ἔξαμαρτάνειν προαγομένον,* e. q. s.

In § 148 Aeschines expositurus cladis ad Chaeroneam acceptae auctorem unum Demosthenem esse postquam regem Philippum ad pacem faciendam inclinatum fuisse neque vero Thebanorum magistratus imminens periculum non reformidasse adfirmavit, adversarium suum ex inopinato ita carpit: *οὐ γὰρ δῆτ' ἄστράτευτος καὶ λιπῶν τὴν τάξιν αὐτοῦς ἐνουθέτησεν, ἀλλ' ὁ Φωκικὸς πόλεμος δεκέντης γεγονὼς ἀεὶ μὴνστον παιδείαν αὐτοῦς ἐπαίδευσε.* in his verba *καὶ λιπῶν τὴν τάξιν* praegressa voce *ἀστράτευτος* patienter usque adhuc ferri miror, quoniam qui numquam militasse contemptim dicitur non

potest eodem tempore deserti in bello ordinis coargui: nam quod crimen *λιποταξίου* quod dicitur non numquam latius patet idemque fere atque *ἀστρατείας* est (veluti in Lycurgi Leocr. § 147 et apud Lysiam XIV 7), eo ne quis ad defendendum nostrum locum abutatur non veremur. conf. Ctesiph. § 175 et 176. convincitur emblemata etiam eo quod opponitur, ὁ *Φωκικὸς πόλεμος*, quae verba ad *ἀστράτευτος* tantum quadrare vides. venit autem ineptum illud additamentum sine dubio ab homine, qui cum meminisset saepissime Aeschinem Demostheni modo aperte modo tecte τὸ *λιποτάξιον* exprobrare (vide or. in Ctesiph. § 7. 152. 155. 159. 175 s. 181. 187. 244. 253, de falsa legat. § 148), eam criminationem hic quoque apte adici putaverit nec emblemata suo sententiam perverti intellexerit.

§ 152 orator Atheniensium in pugna ad Chaeroneam caesorum mentione facta, in quorum postea tumultum Demosthenes fugitivis pedibus ascendere ad praedicandam eorum virtutem non erubuerit, vehementissime inimicum suum sic compellat: ὦ πρὸς μὲν τὰ μεγάλα καὶ σπουδαῖα τῶν πραγμάτων ἀνθρώπων ἀχρηστίατε, πρὸς δὲ τὴν ἐν τοῖς λόγοις τόλμαν θανμασιώατε, ἐπιχειρήσεις ἀντίκα μάλα, βλέπων εἰς τὰ τούτων πρόσωπα, λέγειν ὡς δεῖ σε ἐπὶ ταῖς τῆς πόλεως συμφοραῖς στεφανοῦσθαι; deinde ad iudices conversus hunc in modum pergit: ἂν δ' οὗτος λέγῃ, ἡμεῖς ἵπομενεῖτε, καὶ συναποθανεῖται τοῖς τελευτήσασιν, ὡς ἔοικε, καὶ ἡ ἡμετέρα μνήμη; ubi Weidnerus cum in duabus prioribus editionibus pro illo καί, quod ante *συναποθανεῖται* est, ἧ scripsisset plane contra mentem oratoris, in tertia traditam a libris scripturam recte revocavit. sed in eis quae insecuntur verbis manifestum vitium corrigendum erat. ineptissime enim *συναποθανεῖται τοῖς τελευτήσασιν* dicitur, nam in eius modi locutionibus idem verbi finiti participiique tempus esse oportere et ratio docet et usus comprobatur. Herodotus III 16: *Αἰγυπτιοῖσι δὲ νερόμισται πῦρ θηρίον εἶναι ἔμνηνον, πάντα δὲ αὐτὸ κατεσθίειν τὰ περ ἂν λάβῃ, πλησθὲν δὲ αὐτὸ τῆς βορῆς συναποθνήσκει τῷ κατεσθιομένῳ*. Gorgias in notissimo epitaphii fragmento p. 130 ed. Saupp.: *τοιγαροῦν αὐτῶν ἀποθανόντων ὁ πόθος οὐ συναπέθανεν*. quodsi non numquam praesens cum participio aoristi copulatur, ut apud Platonem Phaed. p. 88 D: *καὶ πάνν δέομαι πάλιν ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς ἄλλον τινὸς λόγου, ὅς με πείσει ὡς τοῦ ἀποθανέντος οἱ συναποθνήσκει ἡ ψυχὴ*, et in Lycurgi Leocratea § 60: *ὥσπερ γὰρ ἀνθρώπων ζῶντα μὲν ἐλπίς ἐκ τοῦ κακῶς πράξει μεταπεσεῖν, τελευτήσαντα δὲ συναναιρεῖται πάντα δι' ὧν ἂν τις εὐδαιμονήσειεν*, id, quamquam et ipsum parum diligenter fit, tamen multo minus quam

futuri cum aoristo coniunctionem offensae habere adparet, neque hinc quisquam nostro quoque loco defensionem paratam esse putabit, cuius num similem apud ullum scriptorem graecum inuenias vehementer dubito. itaque necessario restituendum est Aeschini *συναπέθανε*, pro qua forma ut *συναποθανεῖται* falso inferretur praegressum futurum *ὑπομενεῖτε* in causa fuit. intellectus autem totius loci non potest alius nisi hic esse: 'si Demosthenem cladis ad Chaeroneam acceptae auctorem contendere patiemi se corona dignum esse, una cum eis, qui in pugna illa ceciderunt, memoria quoque vestra, ut videtur, mortua est'. quae sententiae, quarum ea est ratio, ut altera alteri subiecta sit, in animosa hac oratoris interrogatione copulativo καί inter se conexas sunt.

In § 195 volgo haec leguntur: *Ἀρχίνος γὰρ ὁ ἐκ Κοίλης ἐγράψατο παρανόμων Θρασύβουλον τὸν Στειριεῖα (γράψαντά τι παρὰ τοῖς νόμοις), ἕνα τῶν συγκατελθόντων αὐτῷ ἀπὸ Φυλῆς, καὶ εἶλε νεωστὰ γεγονημένων αὐτῷ τῶν εὐεργεσιῶν, ἃς οὐχ ὑπελόγησαντο οἱ δικασταί.* in quibus quae uncis inclusi rectissime ab Hamakero (Mnemos. vol. VIII p. 15) vel potius Dobraeo (adversar. I p. 341) deleta in recentioribus editionibus ommissa sunt. sed praeter ea Weidnerus etiam verba *αὐτῷ ἀπὸ Φυλῆς* (libri *ell* autem mutato verborum ordine *τῶν ἀπὸ Φυλῆς αὐτῷ συγκατελθόντων* praebent) expulit. his nondum contentus Cobetus in variarum lectionum editione altera p. 499 etiam servata a Weidnero verba *ἕνα τῶν συγκατελθόντων* ab imperito magistello esse interpolata censuit. Thrasybulum enim, cuius virtute et consilio omnia illa gesta essent, qui Phylon occupasset, qui rem publicam et libertatem solus restituisset, nullo modo dici potuisse *ἕνα τῶν συγκατελθόντων*, quasi gregarius miles aut unus de multis fuisset. atque hoc quidem in universum rectissime Cobetus monuit, nec putō traditam scripturam eo defendi posse, quod § 187 Archinus *εἰς τῶν κατωγαγόντων τὸν δῆμον* dicitur, cuius loci diversa ratio est.¹ verum quando Aeschines modo adfirmavit olim tantum servandarum legum studium fuisse, ut non ei solum, qui in re publica dissiderent, sed etiam amici amicos, si quid contra commisissent, *παρανόμων* accusarent, idque iam celeberrimo Archini et Thrasybuli exemplo comprobatur, communis eorum a Phyle reditus commemoratio non solum aptissima, sed paene necessaria est. itaque verba, de quibus agitur, si quidem via et ratione rem gerere volumus, non omnino eiciemus, sed emendare potius ita conabimur, ut nihil offensionis relicum sit. quod facile adsequimur scribendo: *Ἀρχίνος γὰρ ὁ ἐκ Κοίλης ἐγράψατο παρανόμων Θρασύβουλον τὸν Στειριεῖα, τὸν ἑαυτῷ ἀπὸ Φυλῆς συγκατελθόντα, e. q. s. pronomine reflexivo semel in ἕνα τῶν corrupto ceteras corruptelas subnasci consentaneum erat.*

Friburgi Brisigav.

Bernardus Schmidt.

¹ Ceterum illic *τὸν δῆμον*, quia eiusdem vocis idem casus ex eodemque verbo aptus proxime antecessit, ut ab interpretatione natum induxerim.